



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus VII. De Translatione Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

cultus, Divina providentia, quæ in necessariis non deficit, permittura non sit, ut controversam quæstionem ex Cathedra definiendò Ecclesiæ pro Fidei dogmate errorem proponat. Eadem aut Ecclesiâ jurisdictionis defectum supplente cætera ejus acta subsistent non minus, quam propter necessitatem aut utilitatem publicam, Ecclesiâ vel Republicâ ejusdem defectum supplente, subsistent sententiæ cæteraque acta judicis, errore publicò existimati, per textus aut *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prat. §. Veruntamen post can. Insania 3. q. 7. & tradenda Lib. 2. Tit. 1. à n. 63.* Accedit; quòd imprimis ex alicujus, humanò tantùm Jure requisitæ conditionis defectu invalida ejus electio, ipsâ universalis Ecclesiæ acceptatione convalescat, ex mente Eminentiſſ. Pallavicini *de Fide cap. 7. n. 104.* & Haunoldi *Theolog lib. 3. Tract. 1. n. 164.* ubi uterque distinguit inter summi Pon-

tificis duplicem electionem. Unam per actam à Cardinalibus: alteram à tota Ecclesiâ, ab illis electum acceptante, eum tanquam Christi in terris Vicarium & B. Petri Successorem honorante, & in electione Cardinalium intervenientes defectus supplente. Deinde; quòd ex communi T. T. præsertim modernorum sententia fide Divina credibile sit, quolibet summum Pontificem, postquam à tota Ecclesiâ acceptatus est, verum Christi Vicarium & B. Petri Successorem esse; ac proinde providentia Divina permittura non sit; ut, qui Naturalis aut Divini Juris impedimentò laborat, in eum eligatur, aut saltem electus à tota Ecclesiâ acceptetur, ut solidè ostendunt SS. PP. Conciliorumque autoritate firmant Suarez *de Fide disp. 10. s. 5. à n. 1. Palao Tract. 4. disp. 1. p. 5. s. 2. à n. 5. cit. Pallavicinus n. 141. & Haunoldus à n. 157.*

TITVLVS VII.

De Translatione Episcopi.

SUMMARIUM.

1. Definitio Translationis:
2. Quâ ad majorem facilius,
3. Quam ad inferiorem aut parem Ecclesiâ,
4. Ex necessitatis vel utilitatis causa,
5. Et Papa auctoritate interveniente, Episcopus confirmatus:
6. Imò & consecratus transit;
7. Non obstante vinculo conjugii spirituales.

8. Prelati Episcopo subiecti, ipsius
9. Exempti Apostolica auctoritate transferuntur.
10. Invitò Episcopò conjugii spirituales vinculum solvi:
11. Non etiam contrahi potest.
12. Inferiorum dignitatum una alterius assensione:
13. Episcopatus ante hanc vacat.

Tertia ad Prælaturas Ecclesiasticas via est Translatio, quâ Metropo-

litanis, Cathedralibus, & quandoque inferioribus Ecclesiis providetur de Pastore, aliam Ecclesiam vel monasterium ante obtinente, ut colligitur ex ejus definitione: qua esse dicitur, alicujus personae ab una Ecclesia ad aliam, ex justa causa auctoritate superioris facta dispositio seu mutatio, *can. Mutationes 7. q. 1.*

Transferri ita possunt ac solent non Episcopi duntaxat, secundum Rubricam: sed his etiam superiores Archiepiscopi, Primates, Patriarchae, S. R. E. Cardinales *c. Bona 4. de Postul. pralat. § c. Dilectus 19. de Prab. & dignit.* & inferiores quoque Praelati vg. Abbates & Praepositi, tam Seculares quam Regulares, *c. Cum venerabilis 7. de Consuet.*

§ c. Dudum 22. de Elect. Neque solum ad majores: sed ad pares etiam, imò & ad minores Ecclesias: licet à majori ad minorem vg. ab Archiepiscopali ad Cathedrali Ecclesiam transferri non facile quis velit, *can. Legimus 23. in sine disp. 93. § c. 1. de Cleric. non resid.* nec, si velit, ad illam vel parem etiam Ecclesiam transire permittatur, *Glossa in c. fin. V. Ad parem & ibi Panormit. n. 8.*

3. Quae causa est, cur indultum Apostolicum, eoque concessa facultas transeundi ad Ecclesiam majorem, ad parem vel minorem non porrigatur, *c. 1. c. fin. & Glossa cit. Pirrhing ad hanc Rubric. n. 17.* Cujus ratio ea est; quòd ad hujusmodi Ecclesiam non causà necessitatis aut utilitatis majoris, sicut cum ad majorem transfertur: sed avaritiae; quòd ea, quae desideritur, altera pauperior, aut alterius minus honesti finis studio peti, & unius dignitas alterius divitiis postponi videatur, *Innocent. in c. fin. cit. n. 4. & ibi Panormit. n. 16.*

Neque in contrarium facit; quòd concessis majoribus concessa videantur & minora, *can. Vitis 16. q. 2. & Reg. Cui*

licet 53. in 6. quia hoc Regulare duntaxat est, quando concessio vel dispensatio tollit inhabilitatem ad majus ob vitium seu defectum personae: sicut accidit, quando illegitimus habilitatur ad Ordines majores; talis enim ad minores quoque censetur habilis redditus, *arg. can. & Reg. cit.* Non etiam, quando non tollitur vitium personae: sed maius praecise conceditur propter majorem utilitatem vel necessitatem; tali namque casu concessio eò, quod est majus, non eò ipsò, quod minus est, concessum censetur, praesertim si hoc utilitas vel necessitas ulla non exposcat; cum ergo translatio ad majorem amplioris fructus & utilitatis; ad minorem verò ambitionis & avaritiae aut alterius minus honesti finis studio fieri praesumatur, eamque ob causam hoc difficiliter concedatur, concessio transitu ad Ecclesiam majorem, non eò ipsò concessus videtur transitus ad parem vel minorem. Imò concessio ad Ecclesiam minorem major videtur concessione ad majorem, Panormit. *in c. fin. cit. n. 8. & Laiman n. 1.*

4. Cujuscunque autem Praelati, & ad quamcunque Ecclesiam translatio jure Ordinariò fiat, ad eam necessaria est imprimis justa causa: eaque vel necessitatis, vg. praelati in ea, quam obtinet, Ecclesia propter aëris intemperiem, plebis persecutionem &c. persistere non valentis: vel utilitatis, vg. quòd speretur bonum pacis & concordiae futurae, aut Praelatus majorem fructum & utilitatem spiritualem in alia Ecclesia relaturus: ob quam causam S. Petrus ab Ecclesia Antiochena ad Romanam translatus perhibetur *can. Mutationes cit. Gonzalez in c. 1. n. 13. & cit. Pirrhing n. 26.*

5. Deinde auctoritas superioris; & quidem, si Episcopus eòve superior praelatus transferendus sit, Summi Pontificis, *sis, c. 16*

ds, c. 1. 6. Inter 2. Sc. Non quidem, si solummodo sit electus; talis enim ante, & verisimilius etiam post petitam, sed nondum obtentam confirmationem juri suo in manibus eligentium sine superioris auctoritate renuntiare liberè valet, c. Si electio 26. de Elect. in 6. & arg. à contrario ducto ex c. Inter corporalia 2. verbis, *Episcopus electus & confirmatus non debet relinquere Ecclesiam suam sine licentia Papa:* sed si fuerit jam confirmatus, aut etiam postulat secutâ postulationis admissione; hos enim, licet consecrati necdum sint, sine auctoritate sedis Apostolicæ transferri non posse, decisum c. cit. & ratio est; quia Episcopi translatio una est ex causis majoribus, sed illi specialiter reservatis, can. Quamvis 3. q. 6. & c. 1. cit. ubi Glossa V. Pertineant: cujus ratio ulterior redditur, c. Inter cit. quod inter Episcopum & ejus Ecclesiam intercedat conjugium spirituale: quod per electionem Inchoatum, per Confirmationem vel postulationis admissionem Ratum, per consecrationem Consummatum ac perfectum censetur, c. Licet 4. Cùm ergo ad dissolutionem vinculi matrimonii carnalis Rati necessaria sit auctoritas Papæ, eadem hæc & multò magis necessaria erit ad dissolutionem vinculi conjugii spiritualis; quia vinculum spirituale fortius & minus solubile est, quàm carnale sive corporale, c. Inter cit. V. Cùm ergo. Unde

6. Dubium non leve de Episcopo consecrato oritur, an auctoritate Apostolica valeat transferri. Dubitandi ratio est partim; quòd V. cit. conjugium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam intercedens, non humanâ, sed Divina potius potestate dissolvi asseratur: partim verò paritas cum carnali cōjugio consummato; cujus vinculum cùm relaxari ac

dissolvi nequeat à Papa, juxta illud, *Quia Deus conjunxit, homo non separat,* Matth. cap. 19. V. 6. multò minus solvi ab eo poterit vinculum conjugii spiritualis, per consecrationem consummati; quia hoc carnali fortius dicitur V. cit.

Sed omnino tenendum est, ab una sede ad aliam transferri auctoritate Apostolica posse Episcopum etiam consecratum; quia matrimonium spirituale, etiam per consecrationem consummatum, institutum non est ad significandam indissolubilem unionem sive conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis humanæ: sicut ad eam significandam conjugium carnale consummatum divinitus est institutum, c. Debitum 5. de Bigamia & c. Unic. de Div. in 6.

Quare, conjugium spirituale divini potestate dissolvi, ideo solum V. cit. dicitur; quòd dissolvatur potestate immediate non ab homine, sed à Deo accepta, & soli Papæ tanquam Christi in terris Vicario concessa, c. Quamvis cujus propterea & Dei idem Consilium esse censetur, ut in c. cit. cum Hostiensis n. 11. & Joan. Andr. n. 2. observant Barbosa in c. Inter 2. n. 2. & Fagnanus in c. Quamvis cit. n. 3.

Neque hinc sequitur, conjugium spirituale minus forte esse carnali; quia in consecratione Episcopi, per quam est spirituale conjugium consummatum, imprimatur character indelebilis etiam post mortem: vel saltem per præcedentem ordinationem sacerdotalem imprimatur novò quodam & reali modo augetur, Bellarmin. Lib. de Ordine cap. 5. in fine & Laiman Theolog. moral. Lib. 3. tit. 9. cap. 4. n. 3. Deinde; quia conjugium carnale consummatum omnino indissolubilem habet, quatenus est spirituale

spirituale sive elevatum ad dignitatem Sacramenti, vel potius initum & consummatum ab homine baptizato: non quatenus est contractus civilis per carnalem copulam perfectus; hoc enim, Apostolicâ auctoritate non interveniente, solvi quoad vinculum potest, si conjugum uni ad fidem converso alter cohabitare vel simpliciter, vel sine injuria creatoris nolit, *c. Quando 7. & c. Gaudemus 8. V. Qui autem de Divore.* Contrâ matrimonium spirituale Episcopi, uti & professi Religionem, Apostolica duntaxat auctoritate solvi potest, *c. 1. & c.* Demum; quia carnalis conjugii vinculo ligati à communi thoro & habitatione recedere valent mutuo consensu ipsorum, profitentium Religionem & contrahentium conjugium spirituale, sine auctoritate Papæ, *c. Cum sis 4. c. Ex publico 7. c. Uxoratus 9. & c. de Conversi, conjug.* quæ tamen, ut dictum, necessaria est ligatis vinculo matrimonii spiritualis, ab Ecclesia sua vel à Religione recessuris, Vallens. *ad hanc Rubr. n. 4.*

Neque obstat; quòd Episcopus ab Ecclesia sua ad aliam propria auctoritate transiens, utramque amittat, *c. Quando 3.* quia hinc non inferitur, vinculum ipsò transitu dissolvi; cum priorem non amittat ipsò jure & factò: sed in temeritatis poenam eâ per sententiam judicis condemnatoriam veniat privandus, ut colligitur *ex can. Si quis Episcopus 31. ibi Carebit & propria, 7. q. 1. Panormit. in c. Quanto cit. n. 13. Imola ibid. n. 8. & cit. Pirrhing n. 12.*

8. Dubium secundò est, an Apostolica auctoritas necessaria etiam sit ad translationem prælati, Episcopo inferioris. Dubitandi ratio est; quòd inter hunc quoque & ipsius Ecclesiam spiritualis conjugii vinculum intercedere videatur; quòd ejus obitu Ecclesia videtur, *c. Ne*

pro defectu 41. ibi Ecclesia viduata, de Elect.

Verùm hunc, si exemptus non sit, proprii sui Episcopi auctoritate transferri posse, rectè desumitur *ex can. Abbas 18. q. 2.* Nisi Ecclesia, ad quam ejus translatio fit, sita sit in aliena diocesi, istiusque Episcopi subjecta jurisdictioni; hòc enim casu necessarius est consensus Episcopi diocesis utriusque, *arg. & Admonet 4. de Renuntiat. & c. fin. de Cleric. peregrinis.* Ratio, cur auctoritas Papæ necessaria non sit, ea est; quòd inter Prælatum & Ecclesiam Cathedrali inferiorem solum quasi, non verum conjugium spirituale intercedat, ut inter Episcopum & Ecclesiam suam, *c. Requisisti 15. Testament. V. Secus* Unde de Jure communi Ecclesie suæ per anulum solus Episcopus desponsatur, secundum Doctorem Angelicū *in 4. dist. 20. art. 4. q. 1.* solique ipsi tanquam proprio & vero illius sponse eum ferendi jus competit, ut cum Ant. de Butrio *in c. fin. de Postulat. Præl. n. 15.* notat Fagnanus *in c. Quando cit. n. 6. Dixi, Non exemptus;* quia ab exempta aut ad exemptam & sedi Apostolicæ immediate subjectam, uti & ad reservatam Ecclesiam prælati cujuscunque translatio fieri nequit sine consensu Papæ, Hostiens. *in Summa n. 4. Panormit. in c. fin. n. 5. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 10.*

Dubium tertio est, an transferri valeat Episcopus invitus. Satis receptum est, exigente necessitatis aut utilitatis causâ invitum absolvi posse à vinculo, quò alligatus est Ecclesie prioris, ut ista vacet: sicut invitò conjugum alterò solvi ab eodem potest vinculum carnalis matrimonii Rati, Fagnanus *in c. Quando cit. n. 101. & cit. Pirrhing n. 13.*

Invitum etiam alligari posse Ecclesie secundæ, sentire videntur Hostiens. & Joan. Andr. *in c. fin. de Postul. præl. Z. z. 3. Sed me-*

Sed melius negat laudatus Fagnanus *num. 102. Et. quia ex una, sicut carnale. l. Nuptias 30. ff. de R. J. & c. Tua 25. de Spons. & matrim. & spirituale etiam conjugium inter professum & Religionem, can. Integritas 32. q. 1. Et c. Cum virum 12. de Regular.* sic etiam conjugium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam mutuo consensu eligentium & electi contrahitur, *c. Cum inter 21. de Electi. & Confirmacione Consecrationeque accedentibus, ratificatur & consummatur, c. Inter 2. cit.* Ex altera verò parte, translatus verum spirituale conjugium contrahit cum Ecclesia, ad quam transfertur, ut colligitur partim ex eo; quòd ad aliam sine causa transiens huic sponte nubere, *can. Sicut alterius 7. q. 1. eique per ad ulterium spirituale se conjungere, dicitur, can. Sicut vir 9. cit.* Unde argumentò ductò à contrario inferitur, id ex justa causa & autoritate Apostolica facientem alteri verè & non adulterinè conjugii: partim ex eo; quòd aliàs Episcopus translatus nullius Ecclesie esset sponsus; & istò careret Ecclesia, ad quam transfertur; cum tamen ista non minùs per ejus, quàm alterius Prælati obitum videtur, *arg. c. Ne pro defectu cit. Fagnanus l. cit. n. 113.*

12. Dubium quartò est, quando vacet Ecclesia, cujus Episcopus ad aliam transfertur. Ratio dubitandi est; quia beneficia & dignitates inferiores, quando ab ipsis ad alias aut Episcopatum transitur, ordinariè non vacant ante pacificam & fructiferam assecutionem possessionis & obtentum plenum jus Episcopalis vel alterius dignitatis, ad quam ab illis transi-

tur, per textum & DD. *in c. Cum in curia 7. §. Cum verò, de Electi.*

Sed aliter res se habet cum translatione ab uno ad alium Episcopatum, propter vinculum conjugii spiritualis; hoc enim, si cum alia Ecclesia contraheretur, ante priùs initi cum alia dissolutionem, committeretur adulterium spirituale, *can. Sicut cit.* nisi ad duos Episcopatus simul retinendos impetrata fuisset dispensatio; quæ concedi à sede Apostolica potest, *can. Relatio 21. q. 1. non minùs, quam duo Episcopi constitui in uno Episcopatu, prout factum est S. Augustino; qui Valerio adhuc viventis Coepiscopus accessit, non solum successit, aut coadjutor est datus, can. Nos autem 7. q. 1. Fagnanus l. cit. n. 51.*

Quare in Translatione prior Episcopus vacat ab eo tempore, quò ille ab istius vinculo in Consistorio Papæ est absolutus. Cujus proinde absolutio notitià acceptà Episcopus abstinere debet ab exercitio jurisdictionis Episcopalis; ab eo tempore penes Capitulum residentis; quod decisione Rotæ & S. Congregat. Episcoporum negotiis præpositæ declaratione confirmat Barbosa *in c. 1. n. 1. nisi*, quod rariùs solet, translatio non tam ob necessitatem vel utilitatem Ecclesie, quàm ob merita & gratiam personæ facta esset; tali enim casu translatione facti sub conditione, *si Episcopus consentiat* ac proinde ante istius consensum obtentus Episcopatus vacationem non induci, *arg. Reg. Quod ob gratiam 61. in 6. voluit Panormit. in c. Cum nobis 19. de Electi. n. 5. Joan. de Selva de Beneficiis p. 3. q. 37. n. 7. & Fagnanus l. cit. n. 91.*

